

meniam; Thomas Indiam aliasque; Matthias Judæam et extremos Æthiopas.

A lapidibus vero primo, quia erant Ecclesiæ fundamenta: secundo, quia durissimi et firmissimi, adversus mundi illecebras et tentationum procellas: tertio, quia in mundi Jordane positi, velut piscatores hominum et rursus in castris extra Jordanem, quia illorum conversatio extra mundum et in cælis erat: quarto, quia omnium Christi gestorum testes erant; præsertim resurrectionis ejus, in qua sicco pede Jordanem mortis transit: unde nos commonefaciant divinæ misericordiæ, bonitatis, etc.

IV. Quem electionis ritum adhibuit? Resp. primo, prius pernoctavit in oratione Dei (seu divina): secundo, cum dies factus esset vocavit ad se quos voluit: tertio, elegit ex eis duodecim: quarto, quorundam nomina mutavit: quinto, elevatis in eos oculis docebat eos: sexto: *Fecit ut essent cum illo*, inquit Sanctus Marcus, id est, ut semper lateri adhererent. Quibus cæremoniis indicavit sex conditiones necessarias consiliariis principum et senatoribus, quæ non mala quadrant illis, quas vidit S. Joannes in triginta quatuor senioribus, Apoc. IV.

Primo itaque, pernoctavit in oratione Dominus ante electionem, docens consiliarios devotioni, Dei timori, adeoque orationi addictos esse debere, quo consilia bona a Deo, a quo est omne datum optatum, quærant. Sic filii Israel post mortem Josue consuluerunt Dominum, quis eorum dux futurus esset, Judic. I. Inde in nullis amplisque civitatibus moris olim fuit, ut ne senatores et consiliarii in concilium irent, priusquam sacro missæ interfuisent officio, ut testantur sacella ad hoc extructa, Aquisgranæ, Coloniae, et alibi. Fecerunt id et gentiles aliqui. Plinio audiamus initio panegyrici: « Bene ac sapienter p. c. ait, majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus caperetur, quod nihil rite nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicerentur. » Hoc in viginti quatuor senioribus expressum fuit, cum prociderunt ante thronum et adorarunt viventem in sæcula sæculorum, mitentes coronas suas ante thronum.

Secundo, cum dies factus esset, vocavit ad se, quos voluit, diem electionis discipulorum destinavit, non noctem, quia voluit uti apostolos, ita et consiliarios esse filios lucis, non tenebrarum, hoc est, veritati addictos, mendacio vero infensos. Veritas lucem amat, quia lux veritatem aperit, mendacium tenebras quærit. Hinc proverbium: Veritatem aperit dies. Hanc requirit Jethro in Moysis consiliariis, Exod. XVIII. *Viros*, scilicet,

in quibus sit veritas: et Joannes, Apoc. V. cum videt viginti quatuor seniores versari circa librum scriptum intus et foris; veritatem enim quam plerumque consiliarii non audent dicere principibus, dicere solent libri. Hinc Alphonsus rex interrogatus quibus consiliariis maxime delectaretur: *Libris* respondit, a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret, Panorm. lib. III. de rebus Alphons. Ludovicus XI. Galliarum rex aiebat, se in aula omnibus rebus abundare, una excepta: rogatus quænam ea esset: *Veritas* inquit.

Tertio, elegit ex iis duodecim. Cum dicitur elegisse utique elegit eos, qui probatis moribus et bona fama essent. Ex horum enim fama pendet fama principis, cujus quodammodo pectus sunt consiliarii; ideo viginti quatuor seniores visi sunt in vestimentis albis, morum candorem et innocentiam senatoribus et consiliariis necessariam indicantes.

Quarto, elevatis in eos oculis docebat eos. Debent ergo consiliarii docti et providi esse, rerum experientia et prudentia pollente, adeoque non clausos sed apertos et elevatos oculos habere. Hinc in Apoc. seniores dicuntur illi, quos circa Christum vidit Joannes: *In antiquis enim est sapientia, et in multo tempore prudentia*, Job XII. Vere Carolus V. imp. audita nece Thomæ Mori, qui vir sapientissimus et Angliæ cancellarius fuit et martyr, dixit: *In Moro Henricus rex octavus totius Angliæ caput præcidit*.

Quinto, Petri nomen indidit Simoni, filios Zebedæi appellavit Boanerges, id est, filios tonitruum. Ita consiliarii fieri quodammodo a se aliis debent; affectum enim omnem exuere, et magnanimitatem heroicam induere debent, ut sine respectu aut discrimine jus omnibus dicant, sintque velut petrae immutabiles, et in ferenda justitiæ sententia filii tonitruum. Quam ob causam viginti quatuor seniores habere in capitibus coronas visi sunt, quasi regio animo et libertate præditi, ut ne obsequantur cupiditatibus principum, sed libere quod æquum est pronuntient. Ita Fridericus imp. III. rogatus, quos e suis haberet charissimos, respondit: *Eos, qui non mugis me quam Deum timent*. Celebratur etiam hoc nomine Trajanus ethnicius imp. qui magistrum et judicem constituens, illique de more gladium porrigens: *Ille*, inquit, *pro me, quamdiu æqua mandavero: sin iniqua, contra me utere*.

Sexto, voluit eos sibi adesse semper a latere: ita consiliarii jugiter adstant principi, et sine eorum consilio nihil agat princeps, quemadmodum viginti quatuor seniores erant in circuitu sedis Christi. Peccarunt in hac re turpiter Nero

imp. et Hieronymus Siciliæ rex, qui omnia nutu et sensu suo nullis usi consiliariis expedierunt, ideoque ambo misere perierunt. Significatur etiam in hoc fidelitas consiliariis necessaria ut pura intentione reip. salutem quærant, et secreta principum servant.

V. Cur vocavit eos apostolos? Resp. primo, ad exprimendam summam eorum dignitatem, quam significat nomen apostoli, id est, legati; cujusmodi nomen et dignitatem habent legati seu nuntii apostolici, quorum nomen non officii tantum sed maxime insuper dignitatis est. Secundo, ad exprimendum eorum officium; quia revera nuntii erant evangelii, quod bonum nuntium significat; ut proinde nuntiarent provinciis, ad quas mittendi erant, fideliter quod ipsi erant injunctum. Tertio, ad continendos eos in humi-

litate, patientia et rerum terrenarum contemptu. Ut enim tabellarii, si prospera annuntient, non sibi id adscribere aut inde extolli possunt, quia illius prosperitatis non auctores, sed nuntii tantum sunt: ita etiam apostoli suum evangelium a Christo acceptum ferebant, non osculabantur manus suas illud afferentes. Denique, ut tabellariis continuo pergendum est ad locum sibi destinatum omnesque tempestates perferendæ: ita apostolorum munus perpetua erat peregrinatio et plurimarum persecutionum, incommoditatum, periculorum tolerantia. Denique, nullibi sistere poterant, sed nuntiorum instar semper ulterius pergere debebant: per quod etiam monebantur nihil in mundo concupiscere, quod in alteram vitam secum ferre non possent.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

DOCUMENTA EX PELLE SANCTI BARTHOLOMÆI.

I. Augusta porta et arcta cœli viva est. — II. Pellis et omnia danda pro anima. — III. Expoliandus vetus homo cum actibus suis.

THEMA.

Elegit Bartholomæum. Luc. VI.

Circumferebatur olim evangelium sub nomine Bartholomæi, quod tamen papa Gelasius velut apocryphum rejecit jure meritoque ut habetur, p. I. decret. distinct. XV. cap. *Sancta Romana*. Ego tamen pace Gelasii arbitror Bartholomæum evangelium scripsisse, et nobis reliquisse, magno nostro bono. Quale vero illud? Utique id ipsum, de quo S. Bartholomæus, teste S. Dionysio Areopagita, in libro de mystica theologia, scripsit: *Evangelium esse latum et magnum, et iterum augustum*. Hujusmodi evangelium, inquam, maximum et minimum, latum et augustum Bartholomæus scripsit: parvum et augustum, mole magnum et latum rerum pondere. Sed qua in charta scripsit? In propria sua pelle. Quo calamo? Cuius carnificis. Quo atramento? Sanguine suo. Justum igitur est, ut hoc evangelium per breve legamus, scriptum in Bartholomæi pelle. Sunt autem tres sententiæ S. Scripturæ.

I. In eo legimus id Matth. VII. *Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam! Patet hoc Christi verbum ex pelle Bartholomæi. Si enim*

nudus ipse et pauper atque innocens ad vitam non intravit, quin pellem ipsam perderet; quomodo intrabunt, qui sarcinis onusti sunt opum et peccatorum? Idem videre est in aliis apostolis, qui non nisi per varia supplicia et tribulationes plurimas eo penetrarunt. Hac via, et non alia, etiam omnes alii sancti ad cælum pervenerunt. Unde Apoc. VII. visuntur *palmæ in manibus eorum*, quia scilicet pugnando victores evadere debuerunt. Quare unus de senioribus cœlitibus ibi, monstrato sanctorum exercitu, interrogat Joannem. *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? Cui Joannes: Domine, tu scis. Et ille: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei. Quare sunt ante thronum Dei? Quia scilicet venerunt ex tribulatione magna. Id ipsum ostendit Deus S. Perpetuæ martyri, propter fidem in vinculis detentæ, per visionem, cujus meminit Tertullianus ei contemporaneus, in lib. de anima, cap. LV. et Sanctus Augustinus, I. de anima sub Severo imperatore. Videt enim scalam auream ad cælum usque porrectam, cultris et gladiis acutis a dextris et sinistris armatam, adeo angustam, ut non nisi unus et gracilis quispiam per eam inter gladios ascendere posset. Sub ea draco teterrimus et ingens jacebat, quem cuncti ascendere volentes formidabant. Videt porro Satyrum puerum (unum e sociis) per scalam ascendentem, sociosque ut et ipsi sequerentur nec draconem formidarent, hortantem. Quam visionem cum cæteris concaptivis recitas-*

set, omnes Deo gratias agentes, ad martyrium se vocari cognoverunt. Paulo post experta est Perpetua, quod vidit dum Satyrus primo, deinde ipsa leoni objecta et ab eo occisa est, Baron. anno 205. Sur. 7. martii. Leo hic draco ille fuit: cultri utrimque fixi, parentes et vir ejus a martyrio eam revocantes, et filium ejus lactentem in sinum ejus jactantes, quem ipsa tamen fortissimo animo a se rejecit. Non timemus quidem nos draconem illum, qui ad sanguinem pro Christo fundendum pro tempore non vocatur: nihilominus tamen per angustam aliam scalam, et ipsam quoque cultris (qui sunt mundi, carnis, et dæmonis tentationes) circumseptam, ascendendum nobis est. Ubi sunt ergo, qui sine omni difficultate et contentione se ingressuros cælum putant, cum Dominus omnibus dicat: *Contendite intrare per angustam portam?* Admonuit hac de re cardinales aliquos B. Ægidius socius S. Francisci, qui audito ejus sermone, rogabant ut pro ipsis oraret. Quibus ipse: « Quid opus, reverendissimi domini, ut pro vobis orem, quando vos longe majore fide et spe præditi estis, quam ego? Et quomodo? dicunt illi. Quibus Ægidius: « Vos in tantis opibus, honoribus et prosperis successibus putatis vos salvos fore, cum ego in miseria et rebus duris atque adversis me damnatum iri formidem. » Quo verbo ipsi non parum ædificati fuere, Sur. 23. april. Noluit vir sanctus damnare eorum honores, sericas vestes, opiparas mensas et opes; sed monere tantum, ut sibi attenderent et cogitarent, hanc non videri arctam illam viam, quam ostendit Christus: videri potius spatiosam, ac saltem periculosam.

II. Id Job: *Pellem pro pelle, et cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua*, Job II. Satanæ quidem hæc vox est, sed a Deo tamen approbata, dum ad hanc petitionem data est ei potestas in S. Job percutiendi eum, non in bonis tantum externis et liberis, ut antea, sed etiam in propria carne. Ostendit autem tanta esse electorum præmia, ut nihil non pro iis homo sustinere debeat, etiam atrocissima quæque, et vitam ipsam dare, quasi diceret: Pro pelle immortalis et gloriosa, cur non dabit homo pellem suam mortalem et miseram? Spoliarat jam bonum Job omnibus armentis et pecoribus suis, occiderat ei omnes liberos; necdum tamen satis eum pertulisse putat pro cælesti gloria, nisi eum in carne etiam miserime conficeret. Atque hoc obtento, insuper uxorem ejus instigat, ut tam misere affecto illudat et mortem imprecur. Nimirum parum esse putavit, quidquid homo daret pro cælesti beatitudine. Hoc ipsum etiam est, quod in Bartholomæi pelle lusum est. Reliquit is, quæ habuit

propter Christum; peragravit ceteriorem Indiam, et majorem Armeniam, plurimaque perpessus est: nec tamen adhuc putavit se sufficiens pretium numerasse pro beatitudine, nisi etiam pellem daret. Romæ cum quis cardinalis in pontificem electus proclamatur, illico plebecula in palatium ejus involat, et quidquid intus est, rapit et asportat, teste, præter Cranzium, lib. X. metr. c. XI. ipsa experientia. Censet enim papatum ei facile rursus suppediturum quidquid ablatum est. Audierat Satan Jobum ob eximiam sanctitatem magno apud Deum loco esse, adeoque procul dubio cæli hæredem fore: quare omnia ei diripit; parum esse putat, perpensa gloria ipsi parata. Dixit quidam vir religiosus et eximie doctus, electos, si noscerentur, omni plagarum genere in hac vita exagitandos: vicissim reprobos omni deliciarum copia demulcendos esse; eo quod illis plagæ, præmiorum; his deliciae, pœnarum cumulo abunde compensandæ forent in altero illo sæculo. Sanctis ergo martyribus palma condecorandis paravit Deus prius acerbissima quæque supplicia, quæ ipsi nihil æstimabant respectu coronæ sibi propositæ. Unde Sancti Jonas et Barachisius a Saborio rege propter fidem torti et flagellati: *Pauca*, inquit, *pro multis patimur*. Iterum glebis ardentibus ustus Barachisius: *Adjuro vos per Deum, ut cruciatibus his majores addatis*, apud Sur. 29. martii. Id ipsum docuit martyr omnium rex Christus, qui non solum bonis exutus, sed et in crucem actus, insuper acerrime illusus fuit. Quare si bona tua pauperibus comunicas, parum adhuc dedisti; si virtutum studio perpetuo incumbis, parum adhuc est; si etiam dira patiaris, necdum multum est; irrideri insuper et sperni post hæc omnia desideras, si quid dignum cælo dare vis.

III. Id S. Pauli: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum*, ad Coloss. III. Quis vetus homo? Ille, in quo ancilla dominatur heræ, et Agar Saræ. Ancilla concupiscentia est, ratio domina. Ubi illa huic imperat, ibi vetus homo est: novus, ubi paret. Ille Adami peccato vitiat, hic gratia Christi reformatus est. Malum regimen domus est, ubi ancilla dominæ imperat; ut in domo Henrici VIII. regis Angliæ, in qua odio habita regina, amata vero ancilla fuit. Quid igitur? Exuendus est vetus homo et excoriandus hoc ipso, quod vitiat prava concupiscentia, in bestiam degeneravit. Et quam aliam ob causam jussit Deus, Levit. I. detrahi pellem hostiæ immolandæ, nisi quia pellis comedi nequit; sacrificium autem quasi cibus Deiesse debebat? Mahometes, qui anno 1453. per proditorem civis cujusdam Constantinopolitani cepit

Constantinopolim, pactus est ei vas auri una cum filia. Ubi civitatem occupavit, aurum unaque filiam in forum produci jussit; verum prius imperavit, ut si filia circumcisi vellet potiri, prius et ipse pellem deponeret, sicque miserum per carnificem excoriari jussit, post sale et cineribus conditum poni in lectum, donec nova ei pellis, ut dicebat ludens, succresceret, sicque hoc ludibrio proditorem extinxit, Caspinian. in Constantino VIII. imper. Funestum et impium facinus satis nos informat, jure a Deo peti, ut si sponsæ cælestis gloriæ gaudere velimus, terrenam et brutam pellem exuamus; quia Deus spiritus est, non caro: gloria cælestis spiritualis, non carnalis. Igitur exuenda pellis veteris consuetudinis. Qui juramentis et execrationibus assuetus est, exuat pellem linguæ: qui ebrietati, pellem gutturis: qui rapinis et usuris, pellem manibus detrahat. Ita enim S. Hieronymus, in epist. ad Paulum et Eustochium ait: « Aula cælestis non suscipit nisi sanctos, simplices et justos: » et Ambrosius, in Luc. I. V. ait: « Tenera corporis cura luxuque et lasciviarum cupiditate mollitos nequaquam cælestis aula suscipit, ad quam duris laboriosæ virtutis gradibus ascenditur. »

At durum, inquit, est pellem suam exuere. Esto hoc: sed pulchrum est, pro veteri pelle mortali novam immortalem induere. Serpens, teste Tertulliano, l. de pallio: « Ut senium persensit, in angusta se stipat, pariterque specum ingrediens, et cute egrediens ab ipso statim limine erasus, exuviis ibidem relictis, novum se explicat cum squamis, et anni recurantur. » Addit Aristot. l. VIII. animal. c. XVII. renasci quasi et de novo vegetari ei oculos et visum qui prius obtusi erant. Quis ergo non similiter exuat veterem pellem, ut novam et immortalem accipiat? Vestiatur lumine gloriæ ad videndum Deum?

Deinde, si ut concediam unam spectemus, per confertam multitudinem nos intrudimus, ut quandoque pallium laceremus aut perdamus, quid non facere nos decet, ut cælesti illi spectaculo possimus interesse? Audiamus Augustinum loquentem, in manuali, c. IV. « O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore lolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, et sanctis ejus sociari; nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidentur ergo demones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia, premant carnem vestimenta, labores gravent, vigiliæ exsiccant, clament in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus,

pallescat vultus, infirmetur totum corpus, deficiat in dolore vita mea et anni mei in gemitibus: Ingrediatur pudredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis et ascendam ad populum accinctum nostrum.

CONCIO II.

USUS LINGUÆ MALUS, VARIUS.

I. Usus otiosus. — II. Usus temerarius et incautus. — III. Usus furiosus. — IV. Usus maledicus et contumeliosus. — V. Usus iniquus et crudelis.

THEMA.

Virtus de illis exibat et sanabat omnes. Luc. VI.

Tristi et horrido schemate pingitur S. Bartholomæus, excoriatus scilicet cum pelle in brachio sinistro et cultro in dextra; quasi monstrans instrumentum quod cum sic deformasset. Ejusmodi culter lingua est, quæ homines sæpe, et innocentes quidem, misere conficit et excoriat. Culter fabricatur in hominum utilitatem, non in perniciem, uti fiunt gladii: sed homines ex cultro faciunt sibi gladium; dum lingua, qua sibi et aliis servire, Deumque laudare deberent, abutuntur ad injuriam hominum Deique offensionem. Vulgo jam mos obtinuit ut lingua hominis appelletur culter et gladius. Dicuntur enim qui multa frivole garriunt, cultro uti et præscindere. Consonatque id cum modo loquendi S. Scripturæ, quæ et ipsa linguam appellat *gladium*, Psal. LVI. *Lingua eorum gladius acutus*: et Psal. LXIII. *Excucierunt ut gladium linguas suas*: et Psal. LI. *Sicut novacula acuta fecisti dolorem*. Quare ut culter Bartholomæi sanet linguas nostras, videbimus quantum mali causent linguæ malæ.

I. Quidam utuntur hoc cultro otiose, ad fallendum tempus; quo modo Persarum rex iter faciens, cultello philyriam, id est, membranam tiliæ tenuem, inter truncum et corticem latentem, scindebat, ad fallendum tempus; neque enim libellum habebat ad legendum neque aliam dignam occupationem, teste Æliano, de var. hist. libro XIV. capite XII. et quo Domitianus parvo cultello muscas configere certo horarum penso solebat. Sic utuntur multi lingua sua ad verba otiosa, quibus pretiosum tempus perdunt, et simul linguam suam graviter sæpe inquinant. Ut enim qui multa diversa edulia, fructus præsertim, comedunt, necesse est, ut interdum aliquid inter ea noxium sumant, quod diu in stomacho hærens

concoqui nequeat: sic qui multa vana loquuntur, sæpe noxia loquuntur, quæ diu mentem cruciant, ut ait P. Damiani, sermone LXXIV. de sanctis. Terribile est Domini verbum, Matth. XII. *Dico enim vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eorationem in die iudicii.* De talibus vero Job, c. VI. ait: *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis et in ventum verba proferitis.* In quem locum Sanctus Gregorius ait: « In ventum verba proferre, est otiosa dicere. Nam sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad meritum quoque stultæ increpationis effrænatur, etc. » Certe qui in ventum seminat, et jure ridetur quasi stultus, increpatur quasi prodigus: sic qui inania loquitur.

II. Quidam utuntur hoc cultro temere et sine ratione, dum prius non expendunt quod loqui volunt; sed quidquid in buccam venit, effundunt. Isti lingua sua utuntur, sicut infantes cultro, qui plerumque sibi ipsis plus nocent quam aliis. Ostendamus hoc exemplis. Anno 1551. in Megalopolis finibus non procul a Wildstadio, in feriis pentecostes plebem cerevisiæ poculis indulsisse scribitur, cui mulier intererat, quæ sæpenumero diabolum suis immiscebat juramentis: ergo is, spectantibus omnibus, eam per ostium in aërem altius sustulit. Reliqui perterriti insequuntur, visum quo deduceretur femina, cernuntque eam extra pagum in aere aliquamdiu pendulam, inde in agro præcipitatum compererunt mortuam, Vierrus, libro III. de præstig. dæm. Non ergo temere compellendus dæmon. Sed et magnis cum dominis nihil temere loquendum: quod expertus tonsor Pragensis, Ianda nomine, anno 1461. qui, cum Georgius Podiebraz rex Bohemiæ pro more balneum adisset, dum tondet eum, interrogat, cujus nunc regnum Bohemiæ esset, respondit rex: *Cujus, nisi tuum, in cujus manu rex.* Approbato hoc dicto, rex jam attonsus interrogat Iandam: *Quis nunc rex Bohemiæ?* Respondet ille: *Vestra majestas regia.* Tum ei colaphum impexit rex, et prostratum calcavit, ut miser octavo die extinctus sit, Wencesl. Hagecus, in chron. Bohem. Bene igitur Pythagoras monuit: *Coronam ne carpito:* et: *In astrum digitum ne intendito.* Sapienter etiam David, Psal. XXXVI. ait: *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur iudicium.* Os meditetur antequam loquatur. Loqui autem iudicium debet, prius ratio velut iudex, audire partes et expendere rem iudicandam, antequam ferat iudicium: quod enim loquitur iudex, inscribitur in protocollo ut vocant, nec mutari potest; proinde prius diligenter omni parte expendendum. Victis ad Methonem Genuensibus et Gallis, quidam e numero Gallorum, qui capti in custodia habeban-

tur, tædio loci ira accensus dixit, sperare se quandoque fore, ut Veneto sibi sanguine manus ablueret. Quo verbo ad Venetos delato, ita omnes offendit, ut eum suspensio ad iudicium ad geminas columnas, Sabellicus, lib. VIII. dec. II. De his Ecclesiastici IX. dicitur: *Temerarius in verbo suo odibilis erit.* Mare omnium maxime oderunt Ægyptii, teste Pierio, l. XXXI. et Plut. in symp. qq. tum quia omnia dulciora amaricat, tum quia navigantibus mortem semper minatur. Idem facit lingua temeraria: omnia in malam partem trahit, dentes in omnes acuit: jure igitur odibilis est.

III. Alii furiose. Sic usus cultro Bartholomæus Elias honesto alias loco inter cives Patavinos, qui postquam litigando diu in altumque cum quibusdam monachis, semper causa cecidisset, indeque æs alienum contraxisset, et paupertatem incurrisset, ut tres filias, Laurentiam, Helenam, Lauram, dotare jam non posset pro familia dignitate; arrepta novacula anno 1542. quarto idus junii, lecto cubantes occidit, specie misericordiæ in crudelitatem lapsus. Sed post, quod pium putarat, sceleratum agnoscens, ad Alpes profugit in Grignæum, et ubi a sacerdote etiam invito absolutioem extorsisset, falce messoria rubiginosa guttur repetitis ictibus sibi secuit, sicque infelix obiit, uti Jacobus Ruffinus, in carmine de hoc edito canit. Simili modo aliqui furiose prorsus utuntur lingua sua, quemadmodum Eudoxia imperatrix Constantinopolitana, alioquin christiana et catholica; quæ cum odio Sancti Chrysostomi inflammata, Epiphanium Cypri episcopum trahere ad suas partes in odium Chrysostomi niteretur, illeque obniteretur, furiis agitata exclamavit: « Nisi tu Epiphani, manum adjutricem porrexeris, ut Joannes exilio multetur, ego clausa idolorum templa aperiā, omnibusque ea adoranda proponam, » in vita Sancti Chrysostomi, apud Lipel. 15. sept. Volebat ergo suæ linguæ novacula mactare secundum animam omnes subditos suos Christianos. O insania mulieris et odium serpentis! Recentius exemplum recenset Cæsarius ord. Cisterc. in mirac. et histor. libro V. capite XI. de muliere obsessa in provincia Aquensi, qua oblata abbati ejusdem Cæsarii in monte Salvatoris juxta Aquisgranum missam celebranti, post missam dum exorcizatur, dæmon tremendum exclamavit, omnesque præsentis terruit. Adjuratus ut exiret: *Nondum vult Altissimus,* ait. Interrogatus qui intrasset, non respondit, nec mulierem respondere permisit. Tandem illa confessa est, quod ad vocem mariti sui in commotione animi sibi dicentis: *Vade diabolo,* seu ad diabolum, senserit illum intrare per auriculam. Erat autem femina passim nota. Sequenti capite addit patrem quem

dam dixisse filio: *Vade diabolo,* moxque filium abreptum non comparuisse. De his intelligo dictum. Psal. XXXIX. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.*

IV. Alii maledice et contumeliose. Sic usus fuit cultro barbarus et inhumanus ille Hanon rex Ammonitarum, qui cum David per legatos eum consolaretur super morte patris, legatis dimidiam barbam abrasit, et vestes usque ad nates decurtavit, ut confusi turpiter apparerent. Quam contumeliam adeo sensit David, ut instructo contra Ammonitas exercitu, occiderit quadraginta millia equites et septem currus eorum perdidit, II. Regum. X. Habuit talem linguam Diogenes, qui obvios quosque mordere et maledictis incessere norat, ideoque *Cynicus,* id est, *caninus* dictus. Sed quo peccavit, eo et punitus est. Cum enim Corinthi crudum polypum canibus divideret, ab uno eorum in cruce sauciatus, eodem die, quo Alexander Magnus Babylone, obiit, Laert. in vita; Volater, libro XV. p. anthro.

Memorable est, quod ex ore Leonis XI. papæ exceptum refert B. Petrus Damiani, epistol. lib. VI. epist. XXI. in hæc verba: « Amita mea, ait Leo, sanctimonialis effecta, in quodam virorum monasterio constituta, ibique in propria degens cellula cum quadam pigmæa quotidianæ laudis officia patienter et humiliter persolvebat. Quadam vero nocte cum ante nocturnam synaxin maturius surrexisset, comitemque suam more solito inclamasset sapius, illaque gravi sopore depressa nullatenus responderet, tandem in ira commota, quid diceret, non attendit: Diabole, (inquit) surge. Ad quam vocem præsto diabolus, ejus quæ dormiebat effigiem representans, accessit, et mutuos reddendo versiculos psallere simul cœpit. Cumque ad illum psalterii locum modulatione continua pervenisset, ubi dicitur: *Exungat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant a facie ejus, qui oderunt eum; sicut defuit fumus, deficiant, etc.* hic illico malus spiritus substitit, et hos exprimere versiculos non præsumpsit. Hoc sancta mulier cum apud se miraretur, expavit, et quoderat non inanita suspicans, signum sibi sanctæ crucis imposuit: statimque malignus hostis evanuit, et quis esset, qui sanctæ mulieri comes extiterat, se fraudulenter occultando monstravit. »

Contra hos apostolus ad. Rom. XII. ait: *Benedicite persequentibus vos: benedicite et nolite maledicere.*

V. Alii inique et crudeliter. Sic usus novacula tonsor quidam Erfordiensis, qui cum tonderet canonicum quemdam, patrinum suum, vidit in mensa marsupium bene nummatum ab eo depositum; unde motus avaritia ut bursa potiretur,

gulam ei præscidit, eumque domi suæ sepelivit, ut refert Buthnerus, in epist. hist. Sic utuntur lingua ii, qui calumniis et detractionibus insontes lædunt, ac vita civili spoliant: uti pessimus ille Doeg, qui innocentissimum sacerdotem Achimelech detulit ad Saulem, quasi is conspiraret cum Davide; qui ab ipso exceptus, panem dumtaxat et gladium acceperat. Unde Psalm. LI. David ei hoc exprobrans ait: *Sicut novacula acuta fecisti dolium.* Sicut enim novacula dolosa una cum capillis etiam cutem et vitam aufert; ita calumnia et detractio etiam innocentes lædit, uti sane læsit Doeg; qui una cum Achimelech, etiam alios octoginta quinque sacerdotes, facti omnino inscios, circumvenit ac peremit, I. Reg. XXII. Verum numquid linguæ hæc tam virulentæ abibunt impunes? Minime. Punitus certe fuit Betellinus aulicus regis Guntrunni; qui depeculatus fiscum regium, Austregisilum, et ipsum in aula regis illius existentem, calumniatus est esse reum. Quare cum singulari certamine res definienda esset, et Betellinus expectaretur, nuntiatur eum ab equo alioquin mansuetissimo, quod ad certamen venire parabat, repente dejectum, et pedibus ejus esse conculcatum, ut in ejus vita, Sur. 20. maii.

Ex his satis, opinor, videmus quantum malum sit abuti lingua, Nemo non indigne ferret, si quem cultro videret armatum per civitatem discurrere, ita ut ab eo nemo tutus esset. Talis autem est homo lingua venenata præditus. Unde Ecclesiastici IX. dicitur: *Terribilis est in civitate sua homo linguosus.* Jure igitur tales et odio habentur, et ab omnibus vitantur, et a Deo puniuntur.

CONCIO III.

APOSTOLI CUR PRÆ CÆTERIS TANTA PASSI.

I. Ut eorum virtus innotesceret. — II. Ut doctrinam Christi mira sua patientia comprobarent. — III. Ut posteris fidelibus essent exemplum fortitudinis et patientiæ. — IV. Ut Christi gloriam et potentiam demonstrarent. — V. Ut cœlesti gloriæ principatu dignos se redderent.

THEMA.

Descendens cum illis, stetit in loco campestri. Luc. VI.

Quid est, auditores, quod Salvator noster, postquam elegit et sancta instructione armavit discipulos suos in monte, deducit eos in campum? Ita enim refert S. Lucas in hodierno evangelio: *Descendens cum illis, stetit in loco campestri.* An fortasse elegit eos, ut velut milites descenderent in campum et pugnarent contra adversarios Christi,

mundum idololatria plenum? Ita sane videtur: nam quo alio fine jussit eos aliquando vendere tunicam et emere gladium? Lucæ XXII. gladium, inquam, non quo ipsi cæderent et mactarent (hoc enim Petro paulo post inhiuit) sed quo cæderentur et mactarentur. An forte in campum duxit eos, ut mundum hunc sterilem et incultum coferret ararent, mutarentque in fœcundum agrum? Neque istud displicet. Hac enim ratione appellat apostolus ad Corinthios Dei *agriculturam*, hoc est, agrum Dei, I. Corinth. III. quod ab ipso velut sterile agri exarati excultique sint, ut Deo fructum referrent. Verum illud maxime placet, quod in campum educti sint, ut ipsi intelligant sese velut campos vomere persecutionis aliquando proscindendos, et variis tormentis concidendos, sicque in fœcundissimos Ecclesiæ agros convertendos esse. Quadrat huic rationi nomen *Bartholomæi*, quod *filium sulci*, qui aratro fit, significat; quasi aratro proscissus et sulcatus sit, dum tyranni cultro scissus in membris suis et excoriatus est. Eodem vomere et alii apostoli varie versati sunt: Petrus, Andreas et Philippus cruce: Paulus et Jacobus Major gladio: Thomas telis: Jacobus Minor fuste fullonis: Bartholomæus, ut dixi, cultro: Simon serra: Judas clava: Joannes olei vase: Matthias securi. Sed quis non miretur tam fideles Christi sectatores et amicos tam dire excarnificatos, proscissos, aratos, occatos, sulcatos esse? Quæ hujus rei causa esse potest? Videamus.

I. Ut eorum virtus magis innotesceret, non Deo, qui omnes novit; sed hominibus, angelis, dæmonibus, ac denique illis ipsis hominibus, ut imitarentur; angelis, ut gauderent; dæmonibus, ut non causarentur de Deo, quasi gratis et immeritis tantam gloriam contulisset; ipsis apostolis, ut Deo gloriam tribuerent. Virtus herbarum medicinalium et seminum, dum franguntur, enitescit: silex non nisi percussus ignem dat: æs ferrumque non nisi attritum splendet: *Optimum thus cum igni inhæserit, tum odoris sui suavitatem emittit*, ait Cyrillus Alexandrinus, lib. X. in Genes. *Sic anima sancta, cum laboribus periculisque velut igne examinata est, tum clariorum perfectiorumque suam virtutem certissime reddit*. Moschus zibetum non fundit, nisi vexatus et stimulatus. Denique, sicut lampades seu tædæ militum Gedeonis emicuerunt con fractis demum lagenulis fictilibus, et tunc Madianitas terruerunt, Judic. VII. sic etiam virtus et ardor apostolorum in eorum suppliciis potissimum coruscavit. Effulsere quidem miraculis; sed hic splendor alienus, et Dei potius quam apostolorum erat: siquidem et improbi habere gratiam mira-

colorum possunt: enitescere etiam virtutibus e vitæ sanctitate, sed hæc an vera et solida sint probari ad cotem tribulationis debent, et eo magis, quo majora apparent: *Adamas*, inquit Origenes, hom. III. in Jerem. *quanto plus cæsus fuerit, tanto plus virtutem splendescere scias*. Scimus ollas fictiles digiti tantum pulsu probari et examinari, æreas vero mallei ictu. His similes erant apostoli, proinde malleo probandi, velut solidissimi in fide et amore Dei: nos velut infirmi digito pulsamur levium tribulationum. Itaque fidem et amorem suum sat superque demonstrarunt apostoli, dum omnibus tentati machinis et tormentis, non modo fracti non sunt, sed fortiores et ferventiores in illis se præbuerunt. Cum in Melite insula vipera adhereret manui Pauli, barbari dicebant: *Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere*. At ubi, excussa bestia, nihil mali passum viderunt: *Convertentes se dicebant eum esse Deum*, Actor. XXVIII. En ex vipera invasione innotescit virtus Pauli, quæ alioquin latuisset. Sic: « Et Job, (ait S. Chrysostomus, hom. I. ad pop.) quando omnibus divitiis circumfusos erat, quis esset, non multis manifestus erat; postquam vero ipsas velut vestimentum exutus athela abiecit, et ad pietatis certamina malus intravit; sic spoliatus spectatores omnes percudit, ut et ipse angelorum Dominus super animi ejus tolerantiam vehementer acclamaret. » Tribulatio ostendit quod nequaquam ob mercedem, uti Satan cavillatus erat, Deum timeret.

II. Ut doctrinam Christi, quam prædicabant, novam et stupendam, patientia sua comprobarent. Reipsa enim ostenderunt quam vera et salutaris esset, cum pro ea non solum mori, sed extrema quæque pati minime dubitarunt. Fuit sane hoc necessarium credituris res tam difficiles, quales apostoli prædicarunt. Illorum enim confessioni velut secundario fundamento innititur fides nostra, juxta id D. Pauli ad Ephes. II. *Superædificati estis supra fundamentum apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Ergo sicut Salomon rex latomis: *Præcepit ut tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum templi, et quadrarent eos, quos dolaverunt cæmentarii*: (ponderosis utique malleis) III. Regum V. ita voluit Christus, ut apostoli, qui sunt lapides fundamentales Ecclesiæ, manibus cæmentariorum (hoc est, tyrannorum) elaborarentur variis suppliciorum instrumentis: quo firmius super eos statuerentur ac solidarentur cæteri fideles, qui audiunt apostolos omnes tot tantaque passos robore invictissimo, pro tuenda et firmanda Christi fide. Magnis lapidibus quadrandis et dedolandis magni et ponderosi mallei necessarii sunt: ideo etiam

Christus apostolos suos velut fortes atque invictos fidei confessores gravibus tentari cruciatibus et suppliciis voluit, ut inde confirmarentur magis, qui postea credituri erant. De his prædixit Zacharias, capite IX. *Lapides sancti elevabuntur super terram ejus*, Hebr. *vexillabuntur*, quasi diceret: Erigentur in vexillum, ut ad ea confluent populi vel in viarum indices, ut demonstrent viam cæli: vel in signum victoriæ, quam obtinuerunt devicta idololatria et fidei persecutoribus. Unde Sanctus Augustinus, sermone V. de dedicat. ecclesiæ ait: « Per illos (apostolos) ergo est salus confirmata credentium: quia videmus eos veritatem, quam annuntiaverunt prænidando, confirmasse moriendo: rebus non sermonibus declarantes, quantum sit bonum illud spe, certum, in retributione gloriosum, in possessione jucundum pro quo lux negligitur, gladius non timetur, anima incunctanter afficitur. » Hinc factum ut sanguis martyrum fieret semen Christianorum.

III. Ut posteris fidelibus essent exemplum fortitudinis et patientiæ, ad ferendum leviores tribulationes, dum aspiciunt apostolos, qui tam grandia pertulerunt tanta fortitudine et constantia. Hoc est, quod ait apostolus IV. Corinthiorum I. *Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus*: angelis bonis spectaculum admirationis et venerationis: malis, terroris et confusionis: hominibus vero, patientiæ et fortitudinis. Quare de illis prædictum Isaia VIII. *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel*. In portentum, hoc est, in stuporem et admirationem: quando scilicet audimus eos tanta et tam dira patientissime sustinuisse: nos autem videmus vix leves tribulationes posse sufferre. In signum, velut miraculum; quod homines rudes et plebei tales evaserint heroes, mundi triumphatores, periculorum omnium contemptores. In signum, veluti in vexillum; ut essent vexilliferi et daces agminum, adeoque præcedentes aciem, primi se ad excipiendam hostium tela exponerent. In signum, ut essent in scopum et exemplum posteris secuturis; ut primi glaciem frangerent; primi mundum vitis omnibus et idolorum insano cultu ac Cimmeriis tenebris involutum aggredierentur, dissolverent, dissiparent. Qui in onerariis navibus adverso flumine trahendis præcedit vectores alios, appellatur a Germanis vitæ suæ prodigus, quia præsentis vitæ periculo vada omnia prior explorare et transire debet. Tales erant apostoli, primi efferas omnes nationes et barbaras præsentissimo vitæ tuæ periculo, continuis in laboribus, injuriis, ludibriis pervadere ac trajicere debebant, ut posteri eorum exemplo tracti facilius sequerentur, et similia aut saltem

leviora pro Christo ferre non dubitarent. Itaque præfigurati sunt in sacerdotibus illis, qui arcam portantes, primi ingressi sunt Jordanem, tempore messis valde inundantem: primi tinxerunt pedes aquis, et Jordanem cohibuerunt stantes in medio, donec filii Israel sequentes sicco pede pertransirent, Josue III. Sic enim et apostoli mundum flagitiis et erroribus inundantem primi ingressi, laverunt stolas suas in sanguine suo: grave onus et immanes persecutiones furibundæ fastuque intumescens idololatriæ sustinentes humeris suis: exponentes se eorum gladiis, cultris, serris, crucibus, fustibus, securibus, lapidibus, ignibus. Quod dum nos audimus et cogitamus, qua ratione timeamus, aut dubitemus sicco pede Jordanis alveum ingredi? Transire sine onere, sine sanguine cum levibus nostris sarcinulis, exigisque oruculis? Levia, inquam, incommoda tolerare? In pace mortem oppetere? Sane omnis Hebræorum populus per arentem Jordanis alveum posito metu transit, dum viderunt in ejus medio consistere sacerdotes, arcam sustinentes: quid ergo metuamus nos Christiani, viso tanto portento tamque heroica virtute in apostolis, Christi evangelium per universum orbem suis humeris portantibus?

IV. Ut Christi gloriam et divinam potentiam mundo demonstrarent, velut invicti ejus armigeri et satellites, pro defensione Domini sui ad omnia agenda et patienda parati, quales lectulum Salomonis circumstabant, stipatores corporis ejus: *Omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi*, Cant. III. Gladius apostolorum erat verbum Dei: ipsi non ab bella inferenda sed sustinenda, et quævis pro Christo exantlanda doctissimi, gloriam ejus ostendunt, non secus ac milites illi Gedeonis, primo ex omni populo, deinde ex decem millibus trecenti solum electi, Judic. VII. Hi enim novis et in speciem omnino ludicris armis instructi, lagenulis scilicet fictilibus, dum eas colliserunt et confregerunt clamantes interim: *Gladius Dei et Gedeonis*, innumerabilem Madianitarum exercitum in fugam compulerunt, ut mutua secæde obruncarent. Quæ sane victoria longe magis Dei gloriam et potentiam illustravit, quam si multo et robusto exercitu, armis et cædibus hostes oppressisset. Milites illi ex omni numero selecti, typus apostolorum fuerunt: qui primo ex omni Hebræorum populo, deinde ex septuaginta duo discipulorum numero electi in apostolos; solo Dei verbo armati velut gladio, non cædendo hostem, nec lagenas confringendo sed cædibus et suppliciis sese exponendo, adeoque corpora sua variis tormentis quasi confringendo, subjugarunt totum mundum et fugarunt idololatriam. Ita Sano-

tus Gregorius, libro XXX. in Job, capite XVII. « Tales, inquit, secum dux noster in prædicationis prælium duxit, qui, despecta salute corporum, hostes suos moriendo, prosternerent; eorumque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres (apostoli imprimis) nostri: sed tubis, sed lagenis, et lampadibus. Qui sonuerunt tubis dum prædicar, confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis supponunt; resplenderunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt. Moxque hostes in fugam conversi; quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscant, conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt. » Sic ille. Gloriabatur Scipio Africanus 300. suorum militum fortitudine, quando interrogatus, quare fretus auderet in Africam trajicere, demonstravit 300. viros dicens: *Nullus horum est, qui non sit, me iubente, conscensa hac turri, præcipitem se in mare dejacturus*, Plut. in apophth. Rom. Gloriabatur et Chasiorum princeps, quod tales haberet subditos, qui ab ipsius imperium de rupibus se præcepissent, in enses irruant, in undas desiliant, in ignem se conjiciant, apud Nicetam, libro II. de imp. Isaacii. Priore etiam sæculo dux Albanus capitaneus generalis exercitus Philippi II. habebat quatuor centum juvenes animosos et resolutos, quos vocabat *prodigos vitæ et perditos*, vulgo *enfants perdus*. Hos in conflictu immittebat seorsim in latas hostium fortius, illi ut audacissimi et pugnacissimi certique mori, turbabant ordines hostium, eosque rumpendo, ordinarie pariebant victoriam, ut scribit P. Corn. in Matth. cap. X. Hujusmodi milites Christi erant apostoli, eo magis mirandi ac laudandi, quod non eligendo sibi mortis genus, sed permittendo se tyrannorum furori et libidini neque etiam spe vanæ gloriæ aut remunerationis hujus sæculi, sed præcise amore ducis sui Christi omnibus vitæ periculis et mortis generibus sese exposuerint, prodigi vitæ suæ, ut amorem suum erga ipsam demonstrarent: quo adeo æstuabant, ut tormenta omnia despicerent. « Quemadmodum enim igneus homo, inquit Sanctus Chrysostom. in cap. II. Actorum, homilia IV. si in media incidat stipulas, nihil lædetur, sed magis vim exeret suam, nec enim ille quidquam patitur mali, sed qui his reluctantur, ipsi seipso perdunt: ita nunc evenit. Imo potius ac si quis ignem gestans luctetur cum eo, qui importat fenem. Itidem videlicet et apostoli illos adorti sunt multa cum fiducia. Quid enim, obsecro, læsit eos tanta multitudo? Num illis cum egestate et fame fuit conflictatio? Num cum igno-

minia et infamia? » Et mox: « Nonne perinde fuerunt affecti, quasi in somnis vidissent hæc mala aut in pictura? » Et infra: « Atque illud interim mirabilius, quod apostoli nudo corpore consistebant adversus armatos, adversus principes, qui publicum in ipsos jus habebant, imperiti et elingues ac simplices idiotæ adversus impostores et circumventores, etc. »

V. Ut excelsa illa gloria et principatu, quer in cælis obtinent, dignos se præstarent. Prædictum de illis erat Psal. XLIV. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (Prov. XII.) patriarchis duodecim apostoli, ait ibi Arnobius: *Constitues eos principes super omnem terram*. Igitur hunc principatum promereri debebant, et ut filiorum instar Christo fierent proximi, prius strenue pugnare. Scimus ephesos illos nobiles, apud Dan. I. non prius in conspectum et servitium regis Nabuchodonosoris admissos esse, quam bene pasti, omnibus disciplinis excolerentur; hinc enim Hebr. maskilim, h. e. *erudibiles*, appellantur, ut H. Pintus, et Pineda, l. III. de rebus Salom. cap. XIII. observant. Igitur et apostoli, ut in tanta dignitate coram Deo stare cum honore possent, erudiendi ad hoc erant; nec alia ratione, quam variis tribulationibus. Ita enim testatur Sapiens, Sap. III. *In paucis vexati* (Græce *eruliti*) *in multis bene disponuntur. Deus tentavit eos, probatione, tribulatione, ut explicat Augustinus, ep. CXL. et invenit eos dignos se. Hanc dignitatem unde acceperunt, nisi a cruce et martyrio? Qui enim non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*, ait Matth. X. Dominus. Audierat Satan Jobum in magna apud Deum existimatione esse, appellarique ab eo *servum ipsius, cui non sit alter similis*. Igitur mox petit, ut eum vexare et ventilare posset: quasi alioquin mercenarius tantum servus esset, fucio Deum colens ob collata sibi beneficia. Itaque spoliavit eum omnibus bonis, necnon liberis suis, adeo ut diceret Deus Jobum hæc immerito passum esse. Verum non contentus Satan: *Pellem pro pelle*, inquit, *et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*. Itaque eum percutit etiam in carne, et pessimo quidem ulcere, a planta pedis usque ad verticem; incans Dei servum pro magna, quam expectat, gloria cælesti, omnibus plagis vexandum ac versandum esse, ut tanto bono dignus fiat. Neque hic contentus, insuper et uxorem ejus instigavit, ut conjugem derideret. Quid igitur jam quærimus quamobrem apostoli tanta sustinuerint? Christi familiares et domestici erant, imo et quasi *filii* erant, *principes* in cælo constituendi erant. Debeant igitur Patri et magistro suo præ aliis assimilari etiam in passione et tribulatione, qui ei-

dem præ cæteris similiores futuri erant in gloria sessuri una cum ipso in thronis duodecim ad judicandum mundum. Quemadmodum igitur magister eorum Christus, postquam extrema omnia et mortem acerbissimam perpessus est, insuper convicia adhuc et derisiones sustinuit, lancea vulneratus et seductor appellatus est: ita conveniebat, ut apostoli præ aliis acerbissima quæque pro Christo exantarent. Sane Bartholomæus non solum cum Sancto Jobo pellem suam exiit, sed insuper crucifixum esse scribitur, et diu post a tyrannus erutum e sepulcro et in mare projectum, ut in ejus vita habet Metaphrastes. Lapidem, qui in ædificio eminere et conspici esse ad ornatum domus debent, melius quam cæteri elaborandi, tundendi et dedolandi sunt. Hujusmodi erant apostoli, cælum ornaturi suo splendore: multa igitur tusione et pressura opus habebant. Hinc cum de Paulo dixisset Christus ad Ananiam: *Vas electionis est mihi iste, mox subjunxit: Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, Act. IX. q. d. quia vas electum futurus est, ideo multis persecutionum malleis tundendus, multo igne excoquendus est. Simili ratione dictum a Raphaele Tobie: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*, Tob. XIII. Agrum, ut bonos fructus proferat, bene arare et excolere, nec semel dumtaxat, sed sæpius oportet. Bartholomæus, ut diximus, sulcum agri significat: bene ergo sulcandus atque exarandus fuit, ut messem apostolo dignam ferre mereretur et coronam.

Jam vero nos, si per omnia heroes istos non possumus imitari, conemur saltem eorum exemplo aliqui præstare, quantum vires nostræ ferent, Deique gratia dabit. Scimus Julium Cæsarem, visu Alexandri Magni statua, illacrymatum esse, quod ipse adulta jam ætate nihil simile præstiterit, quale Alexander gessit juvenis. Doleamus etiam nos, quod nec minima ferre possumus, qui videmus apostolos Christi tanta pertulisse. Ergo ut vel leviora æquo animo feramus, proponamus nobis heroicam ipsorum in patientia fortitudinem. Non habuit Mathathias Macchabææ gentis auctor jam moriturus, ad confirmandos filios suos in tribulatione positos, aptius argumentum, quam ut hortaretur eos ad inspicienda majorum præclara facinora: *Nunc ergo, o filii, inquit, mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis et accipietis gloriam magnam et nomen æternum*, 4. Macch. II. Hunc in finem antiqui Christiani solebant circumire sepulcra apostolorum et martyrum (uti de se et aliis scribit Sanctus Hieronymus, in cap. XL. Ezech.) ut illorum trophæis excitati atque exsti-

mulati, discerent et ipsi pro Christo aliquid pati. Idem nos faciamus, et una cum ipsis venientes veniamus cum exultatione, portantes manipulos nostros.

CONCIO IV.

BONA INJUSTA EXPELLENDA, VELUT SPIRITUS IMMUNDI.

I. Perdunt substantiam. — II. Perdunt Dei gratiam et bona supernaturalia. — III. Turbant animæ quietem et pacem conscientiæ. — IV. Difficile restituuntur. — V. Sævient maxime in articulo mortis.

THEMA.

Qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Luc. VI.

Mirabitur forsitan aliquis, quod in evangelio passim reperiamus, vexatos a diabolo; uti in hodierno non paucos liberatos a Christo, qui vexabantur a spiritibus immundis: nostro vero tempore raro valde audiamus, vexari aut obsideri aliquem a dæmone. Verum melius aperiendi nobis sunt oculi, et tunc inveniemus etiam hoc tempore non unum sed plures ab immundis spiritibus plane possessos et misere vexatos. Tales autem sunt inter cæteros, qui a mammona iniquitatis occupati tenentur. Quid enim est, quod apostolus ad Ephes. IV. ait: *Nolite locum dare diabolo: qui furabatur, jam non furetur?* Nonne aperte indicat, furtum et omne iniquum lucrum malum esse dæmonem, qui in avaro hospitatur? Et cur Christus Dominus Judam aliquando diabolum, hoc est, diabolicam, seu a dæmone agitatam, nominavit? Joan. VI. Nonne quia fur erat (nondum enim proditor erat) et mercedem iniquitatis possedit? Quod enim est dæmon in homine, hoc est, iniquum lucrum et mammon in domo. Immundus spiritus, immundum bonum; imo præstaret a dæmone obsideri, quam ab immundo bono. Tales autem dæmoniacci, timeo, ne complures adhuc reperiantur, qui non modo hospitum illum ad se divertentem libenter admittant, sed ultro etiam advocent, imo vi ac dolo attrahant. Quod ne fiat, eorum execranda perniciosa explicanda est.

Videntur mihi injusti rerum possessores idem fere pati ab injustis bonis, quod justus et Sanctus Job passus est a dæmone, se vexante. Nam:

I. Perdunt propriam substantiam, uti dæmon filios, opes et substantiam Jobi perdidit. Putant aliqui, quod his bonis possint ædificare domum